Quelle: http://manuscripta.at/?ID=30277
Copyright: Heiligenkreuz, Zisterzienserstift

Maria sine concupiscentia virtute altissimi obumbrante: solus amor sancti spiritus quia hanc incanduit conceptionis efficax et auctor mirabilis fuit. Nec mox sequitur. si ex dilectione sancti spiritus dei quem amavit eodem spiritu operante sancta virgo concepit filiumque altissimi genuit, quod eius filii spiritus sanctus sit pater. Non enim operans sui operis statim relative dicitur pater, licet ex operante sit opus. Virgo itaque concepit verbum celeste recipiens, et peperit filium. Verbum namque de corde patris prodiit, affatu archangelico in aures virginis intonuit, inde in eius aulam ingreditur. dei spiritus fervore concipitur, et conceptus deus homo nascitur, et fit sacro sancte ac intemerate virginis proles filius unigenitus. Hunc sane filium deus pater esse voluit totius et principium, et caput omnium fidelium. Principium, quia ipse est principium de principio, et omnis nove creature eo quo est homo est principium. Unde ego principium qui et loquor vobis. Caput est corporis sui quod est ecclesia, ut ait apostolus. Caput inquit mulieris vir, caput autem viri Christus, caput vero Christi deus. Totum etiam deus noster est, quia omnis nostra quantitas ipse est. Ergo est totum in quantitate. Sic enim ait apostolus: ut sit deus omnia in omnibus.

Filius itaque dei veniens in matrem virginem totus venit et non pars dei venit. Non enim deus simplicissima natura et incomposita per partem potuit venire qui omnino inpartibilis est, nec una pars de trinitate homo est factus, licet unus de trinitate venisset, quoniam non est pars in trinitate. Ergo deus totus venit in virginem, totum verbum per angelum virgini annunciatur hodie, totum verbum fit caro, totus deus fit homo. Iste itaque homo iste filius dei totus est in singulis sue partialitatis membris diffusus, quia karitas dei diffusa est in cordibus nostris, que est ipse deus, habetque omnes partes sue totalitati inherentes. Ceterum inter omnes partes christianissimi quarum quantitatem ipse filius virginis est, una pars nobilissima et inestimabilis cuius comparatio inter omnia vel cum omnibus nusquam comparatur, data est filio dei, ut in ipsa sue totalitatis conferret totam rationem.

Hec autem pars est illud sacratissimum virgineum corpus, inter omnia merito, forma, modo, quam alte precellens, speciosissimum, castissimum et singulari gloria excellentissimum, quod unigenitus dei filius assumpsit, ipsam gloriosam virginem matrem suam. Sed quod in

et in virgine hominem. hoc est filius dei assumpsit in virgine et totum hominem et animatum corpus. Non enim assumpsit

matre gloriosa virgine erat corpus adsumpsit. Sed cum queris si corpus illud quod filius dei assumpsit in virgine matre, et si caro illa que verbum facta est fuerit in adam in quo omnes peccaverunt, quia omnes fuimus in lumbis ade, respondendum est quod ibi fuit caro illa, et quod illam carnem assumpsit que fuit in adam. Sed in eo statu assumpsit illam non in quo fuit adam ante delictum quando potuit peccare, nec in illo statu in quo mors illum post peccatum necessario subsecuta est, sed ad quem inmutari potuisset, si firmiter in preceptis dei manere voluisset. Tunc enim id addendum foret ut modo non peccaret aut peccare vellet, sed ne posset quidem aut peccare aut velle delinquere. Hanc igitur carnem de adam veniens et secundum predictum statum in virgine dominus admisit, que caro nec melchisedech sacerdoti dei excelsi per abraham decimas dedit, nec in levi quoque constitit decimata.

Si vero queras quomodo verum sit quod deus assumpsit hominem in sacro sancta virgine, cum nullus homo esset in ea virgine quem potuisset assumere, dicendum est et sciendum quod homo in divina pagina quatuor accipitur modis. Nam dicitur homo exterior, id est ipsum corpus hominis quod corrumpitur secundum desideria sua. Dicitur quoque homo interior, id est ipsa hominis anima secundum quam nos optat apostolus renovari in interiori homine per spiritum sanctum. Dicitur homo ex utroque compositus, scilicet interiori et exteriori homine, et ille est persona et racionabilis substantia nature individue. Quarto vero modo dicitur homo natura hominis, id est humanitas ipsa quam hominem dominus deus noster in beata virgine assumpsit et sue ipsum divinitati univit. Ergo verum corpus et veram animam, id est naturam veram animati corporis sumpsit in virgine. Hoc igitur corpus quod de virgine sumptum est et ipsa beatissima virgo propter illud corpus quod verbum dei factum est, est pars illa insignis quam dedit iacob filio suo ioseph, quamquam amorreus non attigit. Do tibi ait unam partem extra fratres tuos quam tuli de manu amorrei in gladio et arcu meo. Hec pars nostre redemptionis, ex quo in paradyso factus est homo preparata in homine fuit. Mox enim ut divina pietas hominem casurum prescivit, in ipso homine futuri casus hanc medicinam restaurationis per spiritum sanctum preparavit. Nondum consilia impiorum serpentis et eve quando a spiritu dei portio ista preparabatur processerant. Unde et spiritus domini ferebatur super aquas, id est